

causalitas Efficientis, quæ etiam per se constituere & influere indigitatur, communis est cum cæteris causis, ita quæ hinc causæ propria est notatur per characteristicam particulam A, & quia ad physicam determinata, restringitur ad corpus naturale. Aristoteles autem quando causam efficientem definiuit, unde est primum principium motus & mutationis, castigatur meritò à B. D. Martini part. 1. *Metaph. l. 1. §. 9. p. 374.* cum ita disferit, Aristoteles vocabulum motionis seu *κίνησις* in definitione Efficientis adhibet, verum id nimis videtur angustum esse: cum actionibus tantum naturalibus competat. Quia igitur adhuc aliæ sunt causæ, quæ non agunt cum motu, nempe DEUS, angeli, anima hominis; statuamus non motum, sed actionem esse modum causandi causæ efficientis. *Hac ille.* Imò ne omnibus quidem actionibus naturalibus competit, Intellectio & volitio sunt actiones naturales. Fiunt autem sine motu: Ac licet in *Metaphysicâ* actio sit causalitas efficientis; applicatio tamen cum fit ad causam efficientem corporis naturalis, recurritur ad productionem. Neq; enim aliter ab Efficiente est corpus naturale quam per productionem. Hinc iterum B. D. Martini *Exerc. Metaph. l. 1. Ep. 4. p. 155.* ait: Causalitas efficientis est duplex, una respectu materiæ, quam præparat efficiens, disponit quoq; & ad formam suscipiendam reddithabilem: altera totius compositi respectu, quod producit. Et hinc luculentissimè patet, efficientis in genere causalitatem esse actionem: hanc autem nunc per productionem, nunc per dispositionem, nunc alio modo describi, pro ratione materiæ substratæ.

§. 4. **Finis** definitio constat etiam *Genere & Differentiâ.* *Genus* etiam causa externa est. Causa est, quia verum influxum & causalitatem exercet non movendo tantum Efficientem, instigando & extimulando, sed & amabilitatem mediis conciliando. Ubi notandum probè, cum Aristoteles fini actionem metaphoricam adscribit, non sumi actionem incommuni pro quovis influxu: sic enim Finis verè agit, quia verè causat; sed rigorosè pro influxu solius causæ efficientis, cui influxus finalis in modo agendi similis est. Unde non ait, **finem**